



Pri. 48. Raum. 43.
1768/11 12

P. 274

DISSE^TAT^O IN AVG^VRALIS IVRIDICA
DE
TRANSLATIONE BONORVM
ABSENTIS
VEL PROBATA MORTE VEL PRAE-
SVMTA DEMVM EFFICACI

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
G E O R G I O III.
MAGNAE BRITANNIAE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
FIDEI DEFENSORE
DVCE BRVNSVICensi ET LVNEBVRGENSI
S. R. I. ARCHITHESAVRARIO ET ELECTORE ETC. ETC.

AVCTORITATE INCLYTI ORDINIS IVRIDICI
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
RITE CONSEQVENDIS

PVBЛИCE DEFENDET
IOANNES FRIDERICVS PIEL

BREMA - SAXO

DIE XXVII AVGVSTI MDCCCLXVIII.

GOETTINGAE, LITTERIS BARMEIERIANIS.







DISSERTATIONIS INAVGVRALIS IVRIDICAE
DE
TRANSLATIONE BONORVM,
ABSENTIS VEL PROBATA MORTE,
VEL PRAESVMTA DEMVM EFFICACI

CAP. I.

QVOD

BONORVM TRANSFERENDORVM INVESTI-
GATVR DOMINVS.

QVIBVS DAM PRAEMISSIS MONITIONIBVS.

§. I.

Instituti ratio.

Non deerunt forsan, qui nostrum de bonis absen-
tium scribendi animum ob egregia, quae de hoc

A

argu.

2 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

argumento prostant scripta, audaciae atque acti laboris nomine inculsent. Verum enim vero cum ad quaestio-
nem: *utrum hereditas absenti, si vivat, propria, agnatis tempore mortis, vel probatae, vel praesumtae propioribus sit deferenda*, seu, ut loqui amant: *utrum successio fiat ex tunc, an ex nunc, an aliud tempus spectandum sit*, a nemine, quantum ego quidem scio, in peculiari tractatu data sit responsio: hac in re periculum facere, dictamque controversiam in dissertationula mea publice proponere, atque alia, quae thema ea de causa electum illustrant adjicere nullus dubitavi.

§. II.

Exponitur.

Mittam omnia, quae sententiam, a me defendendam corroborare nequeunt. Mittam vocabulorum, quibus propositum indicavi, definitiones. Quid translatione sit, quid absens, quid sub bonis intelligam, quid tandem sub morte, multis explicare haud necesse duco. Quum autem norma caput hoc successionis per quam singulare dijudicandi expressa legum sanctione non definiatur; eam scrutari apud me constitui. Tot et tantae eam ob causam existant sententiae de termino mor-



mortis, de probatione vitae finitae, de favore absentis, de jure heredum, curatorum, et quae sunt id genus alia, ut difficile sit unam eligere.

§. III.

Jus Romanum non distincit decidit controversiam.

Iura quiritaria de bonis absentium varie disponunt. Iubent curatorem dare, (a) cautionem ab administratoribus exigere, (b) fingunt absentem captivum, quandocunque vita privetur, eo quo in captivitatem detrudebatur momento, mortuum. (c) San- ciunt ergo: Omnes lites, quae statum absentis mortui et bona concernunt secundum indicatum tempus esse decidendas. (d) Praecipiunt, bona absentis, praescrip- tione, una cum absentia copta, ab alio acquisita, nisi dominus rescissoriam instituat actionem, haberi amissa. (e) Absentem hereditatem adire posse negant. (f) Cae- tera silentio praeteritus id tantum addo:

I. normam, bonorum absentis translationem dijudi-
candi universalem non esse datam.

II. de hereditate absentis, ita enim vulgo nominatur,
agere, juris Romani non plane adversari princi-

A 2

piis;



CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDQRVM

piis; licet quidam Doctorum id sibi persuadere malint.

III. analogiam laudati peregrini *juris communis* et legum argumenta hujusmodi controversiis decidendi posse omnino accommodari.

- (a) L. 22. §. 1. D. de reb. auct. jud. possid. L. 8. quib. ex caus. in poss.
- (b) L. 3. C. de postlimin. revers.
- (c) L. 1. C. eod. tit. L. 18. de capt. et de post.
- (d) §. 5. Inst. quibus mod. jus patr. pat. L. 1. cit. *Io. Brunne-mann* in Comment. ad Codic. L. 1. et 3. de postlim. revers.
- (e) §. 5. Inst. dc action.
- (f) L. 90. D. de adquirenda, vel omittenda hereditate. Absens captivus tamen favoris, quo libertas est donata, causa, hereditatem adquirit. L. 15. C. de postliminio reversis. *Io. Schil-ter*, in Exercitationibus ad Pandectas, Exercit. XV, §. 75. etc. Tom. II. pag. 49.

§. IIII.

De jure Canonico et Germanico agitur.

Nec jus canonicum, nec instituta patria, si ordinationes quasdam provinciales excipimus (a), hac in causa certi aliquid definitiunt. Vtraque legum species varia, quae promovent commodum partim, partim
damnum

damnum absentis, continet. Sic et consuetudinum patriarcharum certo nomine testes, paroemias puto, jus absentiae speciale vel favorable sicutum, vel odiosum. In vulgus nota est dictio: *wer nicht da ist, wird nicht mitgezählt.* Quidquid tamen sit, bonorum translatio, cuius valor a morte absentis dependet, definita non est. Subsistit ergo et concludo:

III. non nisi analogiam, et

V. aequitatem legum naturalium justam esse rationem decidendi legalem.

Restat de non legali, quae tamen omnes caeteras, quod ad nostrum controversiae statum, sere vincit, disserere.

(a) Vid. *'Hohenloisches Landrecht,* V. I, 28. *Dresdishes Stadtrecht* VII, 5.

Novissima, ni fallor, ordinatio est ea, quam Rex Borussiae potentissimus, sub titulo: *Allgemeine Verordnung, wie es wegen der Abwesenden mit der Verwaltung ihrer Güter und Vermögens und Bestellung der Curatoren zu halten; imgleichen nach Verlauf wie vieler Jahre ein Abwesender für todt angesehen werden soll* --- die 27. Oct. 1763. promulgare jussit.

6 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

§. V.

Observationem de doctorum sententiis intuitu hereditatis absentis transferenda ficit.

Regulae juris apertae praticorum potentia saepissime evertuntur, et sanam analogiam, quam rectius sentientes defendunt, non praevalere deprehendes. Eo magis id evenit, si leges controversiam non decidunt, si verosimilibus utrinque pugnant Eruditi argumentis. Ut itaque lites non siant aeternae, hoc in casu praestat

VI. sententiam Doctorum communem, reginam ^{bonorum} opinionum dictam, nisi prorsus juris repugnet analogiae, sequi.

Quod speciatim bonorum absentis translationem attinet, lequentia notatu mili videtur digna. Quaecunque intuitu bonorum absentis, ejusve juris hereditarii hodie obtinent regulae a Doctorum interpretationibus descendunt. Curatela, eo scilicet quo nostro aevo, intuitu absentis locum habet, sensu, ab Eruditorum promanavit sententiis. Terminum mortis definiverrunt, caeteris sub incudem vocatis et determinatis. Instar legis ergo sunt ejusmodi sententiae in foro receptae.

Quare



Quare, quidquid Doctores hac de re statuerunt, atque in judiciis naestum est valorem, ita erit accipendum, ut menti Doctorum, earumve opinionum rationi respondeat. Annus v. c. septuagesimus intuitu absentis pro longissimo vitae termino habetur. Sed inde neutquam inferendum erit: is absenti succedit, qui die ultimo anni septuagesimi aetate proximus fuit cognatus. Non enim est Doctorum sententia, absentem dicto termino animam efflare, atque hoc momento decedere: verum anno septuagesimo pro vivo non amplius haberi. Et sic annus hic dicendus est vere terminus praecclusivus, quo curatores, proximi cognati, res absentis sine cautione et pure possidere possunt.

§. VI.

Summa tractationis indicatur.

Hisce stabilitis ad thema ipsum me converto. Rationem dissertationis sic habeas, lector benevole, velim. Bona, quorum translatio a morte personae absentis dependet, vel I. cum haec abest, in eum, quo jure successionis transferri possunt, provenerunt statum, vel non. Si hoc: absens vel II. cum a patria exivit atque alibi

8 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

alibi sedem sibi elegit, vel III. cum praesens adhuc fuit,
illa ipse adquisivit. Haec probe a se invicem disser-
nenda mihi, quid justum sit circa translationem disqui-
sicuro, videntur. Translatio autem fit vel 1) ab eo,
qui abest, vel 2) ab heredibus praesentibus, maxime
curatoribus, et quidem A.) vel ab intestato, vel B.)
minus.

Agam ante omnia et praecipue de *translatione*
bonorum primi generis (quae, ut paucis rem dicam,
bona jacentia et haereditatem nominabo) *ab intestato*,
eumque in finem hoc in capite dominum eorundem
scrutabor.


§. VII.

Vsus quaestionis praejudicialis ostenditur.

Cum heres sit Successor in omne jus, quod defun-
ctus habuit; cum non nisi dominus de re quadam pos-
sit disponere: cum tandem proximitas ab ultimo de-
functo bonorum domino ordinem succedendi determi-
net: quaestio: quisnam fuerit ultimus hereditatis, bo-
norum jacentium (vid. §. antec.) dominus, insignem
sane praebet usum. Ut res plana fiat et perspicua fin-
gamus calum:

Cajus





Modestinus suum obit diem, praemortuis Cajo et Ca-
ja. Titius abest. Mevius ergo et Paulus semissem he-
reditatis alterum jure proprietatis atque alterum au-
toritate judicis, tanquam curatores Titii et heredes
conditionati Modestini, sibi vindicant. Si quando Ti-
tius pro mortuo habetur, et semissis hereditatis, a Me-
vio et Paulo haec tenus possessus, a Titio modo legitimo
nunquam est adquisitus, ideoque in ejusdem dominio
non existet: sane non ab hoc, sed a Modestino relictus
videtur.

§. VIII.

Dissentus Iureconsultorum notatur.

Doctores, etiam illi, qui mecum faciunt, de bo-
nis absencium justo generalius loquuntur. (a) Id, quod

B

mihi,

mihi, pace tantorum virorum displicet; atque igitur meam potius sententiam, qua bona administranda, ex praescripto regulae, absentis esse nego, examini subjecere conabor. Variae autem sunt, quae me movent rationes. Primo doctrina de extraneis, proximis heredibus; deinde de liberis, qui, si adessent, hereditati sese immiscere possent, pro me militare videntur.

(a) Videantur *Christoph. Philip. Richter* P. 1, Dec. 65, n. 1. l.
pag. 420. *Benedict. Carpzovius* in *Iurisprudentia forensi R. G.*
Part. III, Constit. XV, Dec. 51, n. 2. *Constitia juridica Tubin-*
gensia Tom. III, Conf. 206, n. 2, pag. 307. *Petrus Millerus*
ad *Struvium*, Tom. I, Exerc. X, Lib. V, tit. III, n. 1, pag. 658.
Wolfgang. Adam. Schoepf in *Decisionibus Tubingensibus*, Part.
II, Decis. 314, n. 2, pag. 576.

§. VIII.

Hereditas, nisi adita, nec adquiritur, nec ad here-
des transmittitur.

Vt hereditatem vel ex testamento, vel ab intestato nobis delatam adquirere, atque ad heredes nostros transmittere possimus, eam adire necesse est. Etenim ita sanciunt *Diocletianus et Maximianus Imperatores*

(a): *Quoniam sororem tuam prius defunctam esse pro-*
ponis,

ponis, quam cognosceret, an a fratre sibi aliquid hereditatis esset relictum: manifestum atque evidens est, antequam pro herede gereret, vel bonorum possessionem admitteret, defuncti successionem eam non potuisse ad heredes suos transmittere. Et Imperator Justinianus (b): hereditatem etenim, nisi fuerit adita, transmitti nec veteres concedebant, nec nos patimus.

(a) in L. 7. C. de jure deliberandi.

(b) in L. un. §. 5. C. de cad. tollend.

§. X.

Sed defuncti sustinet personam.

Proinde ex his non solum, sed ex aliis etiam legibus probari potest, hereditatem nondum aditam defunctum repraesentare. Si heres futurus animum heredis vivens declarare negligit; usque ad mortem ejus, immo usque dum heres certus existit, qui bona defuncti jure occupare possit, hereditas defuncti sustinet personam. Fingunt, hereditatem heredi non adeungi non esse delatam, eandemque statim post ultimum ultimi possessoris vitae momentum ab eo, qui tandem bona relicta adeundo consequitur, esse adquisitam (a).

B 2

(a) §. 2.



12 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

(a) §. 2. Inst. de hered. instit. L. 34. D. de adquir. rer. domin. Arnold. Vinnius ad Instit. T. 1. n. 1, p. 382. ed. Heinec. L. 1. pr. §. 6. de success. Edic.

§. XI.

Bona jacentia absentis non esse concluditur.

Quae cum ita sint; et a genere argumentari licet ad speciem: bona, quae jacentia nominavimus, sive hereditatem absenti ante aditionem jure dominii vindicari nequeunt. Si enim absens nec ipse, nec per alium animum suum significandum curavit; acquisitionem fingere contra omnem foret juris rationem. Illis itaque, qui absenti, non defuncto ultimo praesenti possessori, succedere gestiunt, factam, sive expressam, sive tacitam aditionem probare ante omnia incumbit. Quod si mediis probandi destituuntur, *bona jacentia non in absentis sunt dominio sed defuncti sustinent personam.*

Ius Quiritarium meam sententiam tot tantisque argumentis corroborare videtur, ut uberiorem demonstrationem putem otiosam. Quaecunque tamen moveri possent dubia (et dantur objectiones, veritatis speciem prae se ferentes) modeste solvere sum conatus.

§. XII.



§. XII.

*Aditio hereditatis a curatore nomine absentis facta,
quod ad translationem hereditatis,
effectu destituitur.*

Putant nimirum I.) illustres Iureconsulti, *Tubin-*
genses, Praetorem succurrere absenti ejusque heredi-
bus. Cum enim bonorum possessio, secundum L. I.
L. 6. D. de bonorum poss. secund. tab. etiam per cura-
torem peti possit; curatorem, qui absenti ex officio
datur, hujus nomine adire hereditatem et pro herede
se gerere non solum non prohiberi, verum et, nisi
culpae levis ab ipso praestrandae reus fieri veit, obliga-
tum esse statuunt (a).

(a) Vid. Consilia juridica Tabingenia, Conf. 206. p. 207. n. 2.

§. XIII.

Argumentum continuatur.

Habeant vero sibi, quicunque ita sentiant, re-
sponsum id, quod Vlpianus differuit atque a Iustiniano
legislatore confirmatum est. Ita ille (a): *Adquirere*
quis bonorum possessionem potest, vel per semet ipsum,
vel per alium. Quod si, me non mandante, bono-

14 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

rum possessio mihi petita sit, tunc competit, cum ratum habuero id quod actum est. Denique si ante decepero, quam ratum habeam; nulla dubitatio est, quin non competit mihi bonorum possessio; quia neque ego ratum habui, neque heres meus ratum habere potest, cum ad eum non transeat jus bonorum possessionis. Inspiciant ipsam a Iureconsultis celeberrimis laudatam legem (b). Effectu itaque destituitur omnino, quam curator adeptus est bonorum possessio, si curandus, antequam vita decedat, propriam haud significat voluntatem.

(a) L. 3. §. 7. D. de bon. poss.

(b) L. 1. de bon. poss. fut.

§. XIII - XVIII.

Demonstratur, nec restitutionis in integrum beneficium efficere posse, ut hereditas pro aditu habeatur.

II.) Sententiae meae obstante videtur restitutionis in integrum beneficium, quod heredis heredibus salvum esse ajunt, si ille absentia impeditus, hereditatem adire non potuit. Hancce juris regulam in L. 86. D.

de



*de adquirend. vel omitt. hered. fundatam esse credunt.
Eandem communi opinione probari tradunt (a). At
que ita sane heredes, finita cura, propiores ex persona
absentis contra omissam hereditatis aditionem, quo mi-
nus petant in integrum restitutionem, quid impediat?*

(a) *Io. Brunnemann. in Comment. ad Dig. et quae ibidem ad Ie-
gem citatam dixit.*

§. XV.

Legis ante omnia, ut objectionem removere pos-
sim, genuinum exponere tensum necesse est. Tres
referuntur casus probe a se invicem fecernendi.

1) Divus Pius constituit in eo, qui legationis
causa Romae erat, et 2) filium, qui matris delatam
possessionem absens amisit, sine respectu ejus distinctio-
nis, restitutionem (locum) habere. 3) Pannonius
Avitus, cum in Cilicia procuraret, heres institutus,
ante vita deceperat, quam heredem se institutum co-
gnosceret; quia bonorum possessionem, quam procu-
rator ejus petierat, heredes aviti ratam habere non po-
tuerant, ex persona defuncti restitutionem in integrum
petebant, quae stricto jure non competit, quia intra
diem

16 CAP. I. QVO SONORVM TRANSFERENDORVM

diem aditionis Avitus obiisset. Sed et hic humanitatis
gratia restitutio obtainere debet.

Tres a me legum verbis enarratas species singularibus nisi decidendi rationibus quemlibet habere perspetuum puto. Quare, si contra plurimorum Doctorum opiniones, theoriam defendere esset animus, ita argumentarer. Cum id, quod contra analogiam juris statutum est, ad alios, quam expressos legis casus produci nequeat: cum ipse Iureconsultus, Papinianus nimicum, strictum jus, hoc est, doctrinam de restitutione in integrum admittere saepe laudatum beneficium neget: sequitur, non omni absentiae, non omni successionis generi sanctionem peculiarem esse adcommendandam. Et ita sequerer acutissimos Iureconsultorum, Cujacium videlicet, Huberum, Surdum, aliasque. Sed alia incedendum esse via arbitror. Sit absentia quaecunque justa in integrum restitutionis causa. Inquiram potius, quod nostram attinet controversiam 1) quisnam restitutionis sibi tribuere possit beneficium, et 2) quid restitutio efficiat.

§. XVI.



§. XVI.

Lex, quam interpretari studeo, speciem sicut
ubi absentia heredis, adire hereditatem impediti, unius
tantum generis heres vel heredes uno eodemque suc-
cessionis jure gaudentes, laesi sunt. Caeteri enim,
qui succederent, restitutione in integrum denegata, ab-
sentia non laeduntur. Lucrum potius facerent ex ab-
sentia. Ponas enim Cajum, cuius heredes ab intestato
Mevius et Sempronius, Paulum heredem instituere.
Hic Paulus absens est. Hereditatem adire nequit.
Hujus igitur tantummodo laeduntur heredes, non vero
Mevius et Sempronius heredes Caji ab intestato, siqui-
dem hi jure heredes non fuissent, si Paulus peregre non
abiisset. Quod ad nostram autem controversiam, he-
redes ex nunc et ex tunc propiores de jure succedendi
disceperant. Vtriusque generis heredes absentia lae-
duntur. Heredes ex nunc quia absens si adfuisset, he-
reditatem adire potuisset. Heredes ex tunc, cum, si
absentia heredis non impediti, hereditas forsitan, jam
dudum pleno jure ipsis fuisset delata, si de morte ejus,
qui absens est, indubitate constaret. Objecta ergo le-
gis et praesentis controversiae omnino sunt diversissi-
ma.

C

ma.



18 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

ma. Quod erat primum. Objectum legis est certa laesio. Intuitu controversiae autem inter heredes ex tunc, et ex nunc propiores, laesio est incerta, quae ab incertitudine mortis absentis dependet.

§. XVII.

Cum vero ubi eadem est ratio, ibi eadem sit legis dispositio: sequitur, heredibus ex tunc propioribus, eodem, quo ex nunc proximis, jure denegari non posse restitutionis in integrum beneficium. Absentia causa est, quod ii, qui damno ob eandem afficiuntur, in integrum restituantur. Quodsi ergo hocce damnum erit avertendum, aequitas et iis succurrit, qui, cum absentis mors haud certa esset, laesi sunt. Quod erat secundum.

§. XVIII.

Effectus restitutionis in integrum certissimum mihi suppeditat argumentum. Restitutionem recte accommodari dabo. Concedam, heredibus absentis generatim illam competere. Nonne ita *reducitur res in pristinum statum?* Hic pristinus status non alias esse potest, nisi ille, quo singitur absentem adiisse hereditatem,



tem, atque heredem nomine absentis aditionis jus sibi tribuere. Verba legis sunt: *ex persona defuncti restitucionem implorabant.* Fingitur ergo, absentem tempore mortis defuncti hereditatem adeundo consecutum esse. Ergo non absenti sed defuncto succeditur.

§. XIX.

Nec jure Germanico hereditas sine aditione acquiritur vel transfertur.

III.) Objiciunt juris Germanici Praecepta. Pudentiam nimirum Iureconsulti, doctrina atque eruditione illustres (a), leges Germanorum a Romanis, quod ad hoc caput discrepare. Hereditatem nimirum etiam non aditam ad heredes transmitti quoscunque; saltem per curatorem adquiri posse absque mandato. Ratios exinde, quod hereditas non solempi aditione, verum quocunque facto in heredem transferatur, deducunt. Addunt aliud, nullius licet prorsus momenti, argumentum. Verentur, ne hereditatem nondum aditam rem nullius statuere, idem sit ac occasionem rem alterius occupandi praebere.

C 2

(a) vid.

20 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

(a) vid. *Io. Gottl. Heiniccius* in *Element. jur. Germ.* T. I. §. 310.
p. 592. *Christoph. Richter* in *Decis. Part. I. Dec. 67.* n. 26.
Christian. Thomasius in *not. ad Digesta*, pag. 275. *Io. Frid.
Eisenhart* in *Institut. jur. Germ.* L. II. tit. XIX. §. 1. et 2.

§. XX.

Continuatur argumentum.

Verum 1) minus reēte, me quidem judice, argumentantur: hereditatis aditio apud nos non requiritur sollemnis, ergo ipso jure ad heredes transmittuntur bona a defuneto relieta. Nec 2) ab una propositione: *possessio* ipso jure transit ad heredem, valet conclusio ad alteram; ergo ipso jure *jus successionis* ad heredes devolvitur. 3) Plurimae ordinationes provinciales *jus Romanum*, quantum in *controversiam* vocatam attinet regulam, sequuntur. 4) Iuribus Germanicis, quae laudant, ita saltem, introducto jure Romano, est derogatum, ut, nisi probentur, attendi nequeant. Quam ob causam plurimi, iique maxima famae, doctores, tale *jus transmissionis* hodiernum negant. Evoluntur *Io. Nic. Hert* (a), *Georg. Engelbrecht* (b), *Christ. Wildvogel* (c) ac praesertim vir illustris, quem pro dignitate laudare nemo satis commode potest, *Io. Steph.*



Steph. Pütter, praceptor summe venerandus (d): nec non generosissimus ac celeberrimus Vir. Io. Heinr. Christ. de Selchow, Doctor omni honoris cuius prosequendus, cuius verba hic transcribere placet. Ita enim loquitur Vir celeberrimus (e): *Si acquisitionem hereditatis pacto, testamento, vel lege delatae spectaveris jure quidem antiquo et medio possesso ipso jure in heredem transibat: ... introductio autem jure peregrino juri antiquo in plurimis Germaniae regionibus ita derogatum, ut, nisi haec juris prisci patrii particula singulari statutorum legumque provincialium dispositione conservata esse probetur, merito pro jure Romano praesumatur. ... Addantur Aug. a Leyser (f), Io. Henric. de Berger (g), Tobias Barth (h) et N. C. L. B. de Lynker (i). Mevius ipse, in cuius dictis illi, qui contrariam amplectuntur sententiam, partim sese fundant, id tantum contendit, quod Romanorum placita moribus mutari possent (k).* Instituti ratio non permittit, prolixiorem sententiae, plurimis doctoribus probatae, demonstrationem.

(a) in *confiliis et responsis*, Tom. I. Conf. 12, n. 17. p. 29.

(b) in *disputationibus ad Digesta XVIII*, §. 9. et 10.

C 3

(c) in



22 CAP. I. QVO BONORVM TRANSFERENDORVM

- (c) in *Consiliis juridicis*, respons. 78. per totum, *praesertim n. 10.*
p. 147.
- (d) in *Elementis juris Germanici privati*, §. 716. p. 255.
- (e) in *Elementis juris Germanici privati hodierni*, §. 656. p. 706.
- (f) in *meditationibus ad Pandectarum Spec. 369. med. 8.* p. 745.
Vol. VI.
- (g) in *Resolutionibus legum obstantium*, pag. 546.
- (h) *Diffensus in praxi* 99.
- (i) in *disceptationibus forensibus*, Resol. 654. n. 1. p. 1010.
- (k) in *Decisionibus*, Part. IX. D. 39.

§. XXI.

De hereditate liberis absentibus delata agitur.

Hactenus de extraneis. Nunc de liberis. In fine, jure Romano veteri, suos inter et emancipatos liberos tam quod ad jus, quam quod ad modum succedendi fuisse discriminem apud omnes constat; neminemque fugit, jus succedendi suis competens cum emancipatis ab Imperatore Iustiniano in Nov. 118, esse communicatum atque hodie disceptari, num Imperatoris constitutio recentior etiam modum succedendi sub se comprehendat, ita, ut emancipati, antequam paternam acceptant hereditatem, sicut sui, in quoscunque transmittant heredes jus succedendi.

Ab



Ab instituto meo alienum erit, rationes utriusque sententiae narrare, examinare, measque, si quas haberem, addere speciales. Eam elegi, quae verior mihi videtur, qua nimurum nec hodie emancipati successionem ipso jure adquirunt, nec ad heredes, nisi, vi constitutionis Theodosianae, descendentes, transmitunt. Instar omnium id evicit solidissimus juris interpres, *Georg. Ludov. Boehmerus*, vir illustris atque excellentissimus, Praeceptor omni honoris ac pietatis cultu nunquam non devenerandus (a).

(a) in disserr. de suo herede ab hereditate se abstinenti, vel se immisciente in Elellis iurie civilis, num. IV. pag. 94. seq. Et in diss. de discrimine suorum et emancipatorum in successione intestati jure novo sublata. Ibid. pag. 138. seq. Addatur *Io. Christoph. Koch*, in diss. de liberis heredibus ad probationem abstentionis non obligatis. §. 5. Giess. 1765.

§. XXII.

Liberis igitur emancipatis ea, quae haec tenus de aditione et transmissione ratione extraneorum dixi heredum, recte accommodantur.

§. XXIII.



§. XXIII.

Num absentes, illi nimicum, de quibus nobis est sermo, emancipati dici possint, disquirendum superest. Intuitu quorundam res extra omnem dubitationis aleam posita est: si quis enim, sede fixa, separataque economia instituta, peregre abit, vel dum abest, modo legitimo, sive Romano, sive Germanico emancipatur, suis certe adjungi nequit. Caeteri autem, qui, licet propria vivant quadra, sedem tamen, quantum constat, non elegerunt perpetuam, emancipati aliis non videntur. Verum cum 1) omnis ratio potestatis patriae Germanicae in alimentis a patre praestandis, consistat (a) et domicilium proprium maxime tantum efficitus sit separatae vietus acquisitionis; deinde 2) sedes liberorum certa non aliis ex causis requiritur, nisi ut animus, a rationibus paternis separatum *perpetuo* vendi, significetur. Tandem 3) is, qui ne patri quidem sese commendat, eundemque virae suae certiorem reddit, et ita diu abest, voluntatem domicilium paternum derelinquendi manifestet: denique 4) secuta morte, seu probata, seu praesumta, voluntas illa satis confirmetur: nulla ratio superest, ex qua, filium talem non fuisse emancipatum, possit colligi.

(a) vid.



- (a) vid. Vir illustr. I. S. Pütter in *Elem. jur. Germ.* §. 408. *Io.*
H. de Selchow in *Elem. jur. Germ. priv.* §. 500. *H. C. L. B.*
de Senkenberg de patria potestate Romana et Germanica, §. 23.
p. 28. Io. Ge. *Estor bürgerliche Rechtsgelehrtheit der Deut-*
schen, Tom. I. §. 935. et Tom. III. §. 933. f.

§. XXIII.


Corollaria exhibentur.

Hisce praemissis, pateat necesse est:

- I.) Hereditatem absenti, dum abest, delatam, ab ipso autem non acceptatam, minus recte dici bona absentis: ipsi ergo nihil, nisi jus, si voluerit, adeundi, esse adquisitum:
- II.) Bona hereditaria nominata respectu absentis jace-re, ideoque
- III.) ad nullos heredes (exceptis suis, qui intuitu omnium heredum, et liberis generatim, qui ratione descendantium jure transmissionis gaudent, *L. un. C. de his*, qui ante apertas tabulas) trans-mitti.
- III.) Ea de causa illa solummodo bona, quae abs-fens, vel ipse adquisivit, vel jure hereditario agnito, ad ipsum sunt devoluta, absentis esse.

D

CAP.



CAP. II.

QVO

DEMONSTRATVR, AGNATIS TEMPORE CVRAE
PROPIORIBVS IVS SVCCEDENDI DENE-
GARI NON POSSE.

§. XXV.

Ex antea deductis primum colligitur argumentum.

Dominum bonorum, de quibus heredes absenti cognato successuri maxime litigare solent, perscrutatus sum atque ostendi, rerum a me nomine jacentium insignitarum, absentem neutquam dici posse dominum. Exinde primum, quod hancce bonorum speciem attinet, colligo sententiae meae stabilienda causa argumentum.

Regula juris certissima jubet eum dicere heredem, qui defuncto, sine testamento decedenti, tempore mortis est proximus (a). Cum autem rerum jacentium absens non sit dominus (§. VIII. seq.) adeoque illae non ab hoc, sed ab antea defuncto relinquantur (§. VI.), huic

huic igitur succedatur: ex hujus persona propiores aestimandos esse heredes: non succedi ex nunc, sed ex tunc, omnino sequitur.

(a) §. 6. Inst. de legitim. agnat. successione: *Proximus autem, si quidem nullo testamento factio quisquam deceperit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, de cuius hereditate quaeritur.*

§. XXVI.

Omnis sententiam meam firmare videtur jurisprudentia. Hereditas enim nondum adita defunctum representat, licet, cum adita sit, etiam retro heredem praesentet (a). Heres quandoque adiens hereditatem jam tunc a morte successisse intelligitur (b). Ex praescripto regulae ergo in determinandis juribus atque obligationibus hereditariis mortis tempus est attendendum.

(a) §. 2, Inst. de hered. inf. L. 34. D. de acquirendo verum dominio. Collata cum L. 24. in fin. de novat. Vinnius ad §. 2. cit.

(b) L. 54. D. de acquirenda vel omittend. heredit. L. 138, 193. de R. I.

D 2

§. XXVII.



§. XXVII.

Secundum argumentum exponitur.

Atque ita prima pro successione ex tunc data est probatio. Cum tamen non, nisi bonorum jacentium translatio inde dijudicari possit; alia, quibus successoris jus ex tempore curae bonorum absentis susceptae generatim esse definiendum, patebit, addam argumenta.

§. XXVIII.

Doctores de termino, quo absens mortuus praesumi possit, disceptantes, non id egerunt, ut *terminum, seu MOMENTVM MORTIS definirent juridica probabilitate*: Verum quaestio erat: *QVANDO BO-NA ABSENTIS PROXIMIS AGNATIS SINE CAV- TIONE TVTO TRADI POSSINT*. Dignissima mihi videtur, haecce observatio probatione. Disputant Doctores, quanam ratione ex communi fama, per coniecturas, et per communem opinionem, absentem decessisse, praesumi possit. Post lapsum triginta annorum a tempore absentiae *mortuum praesumi absentem*, dicit *Io. Wolfgang. Textor* (a). Statum controver-
fiae



siae G. Henr. Link egregie ita exponit: ... (b) de eo, quando ex praesumtionibus mors absentis ad effectum remittendae cautionis et juris irrevocabiliter succeden- di, legitime probetur, maximus est inter interpretes conflictus. B. Carpzovius, Responsi Lipsiensis men- tionem facit (c) ubi sequentia legi possunt: „Da nun gedachtes Ausländischen Geschwister, oder derselben Kinder, nochmals durch fleissige Nachforschung mit Auschickung glaubwürdiger Personen an denen Or- ten, dahin der Ausländische sich ansänglich begeben... und nach solcher Erkündigung ... innerhalb Jahres- frist von ihm seines *Lebens* und *Todes* halber nichts würde erfahren können: so würden desselben *hinter- lassene Güter, solche unter sich zu theilen, ihnen OHNE CAVTION verabfolget.*„ Verba statuti civitatis Torgavienensis non possum non hac transcribere. Rem enim praeclare illustrant. En congruam contro- versiae decisionem: „Wann eine Person sich von hin- nen in die Fremde begeben, von deren Leben oder Tod in 30 Jahren, Jahr und Tag, nichts gewisses hat können erfahren werden, und kündlich ist, dass zu der Zeit, da seine nähesten Erben ab intestato, sein Vermö-

D 3

gen

gen ihnen verabfolgen zu lassen, ansuchen, die abwesende Person das 70ste Jahr ihres Alters überschritten haben müsse: so soll nicht vermutet werden, als ob dieselbe noch am Leben wäre, und dennoch seinen Erben an Empfahrung seiner Verlassenschafft kein Einhalt geschehen, dieselbige auch derowegen einigen Vorstand zu bestellen nicht pflichtig seyn (d).,, Recentiori aetate Iureconsulti Vitembergenses cum Lipsiensibus ita responderunt (e): „Da vermöge der deutschen Rechte und Gewohnheiten, denen die cura absentium ihren Ursprung und Verfassung schuldig ist, bei dieser zweierlei Vermuthungen eingeführet und Statt finden, deren die eine prae sumptio vitae ist, und dahin gehet, dass der Abwesende bis zu überstiegenen 70sten Jahre seines Alters pro vivo, in der Absicht und Würkung, damit vor solcher Zeit denen nähesten Anverwandten und Erbnehmern, dessen Vermögen nicht ohne Caution vertrauet werden möge, zu achten, die andere hingegen in prae sumptione mortis und darauf gesetzt ist, dass von dem Abwesenden, so nunmehr das siebenzigste Jahr überschritten, geglaubt wird, dass er zu eben der Zeit, als ein oder mehr Vormündere bestätigt

wor-



worden, das Zeitliche gesegnet habe.,, ... Item sta-
tuit vir aetate atque eruditione venerandus *Chr. Gottl.
Riccius* (f). Addantur velim *Nic. Christoph. L. B. de
Lyuker* (g), *Tobias Barthius* (h), *Io. Schilterus* (i),
atque omnes fere ad *Leyseri* usque aetatem, qui hac de-
re disseruerunt, Doctores.

Omnem itaque scrupulum ex animis evulsisse no-
bis videntur, Doctores, quorum auctoritate terminus
vitae absentis, annus nimirum septuagesimus, nititur,
non mortis momentum, sed terminum, quo hereditas
tuto, sine cautione tradi possit heredibus, definitissime;
eosdem non statuere: absentem anno demum aetatis
septuagesimo decedere, sed mortuum jamjam esse.

Leyserus, vir aeternae alias memoriae, primus,
ni fallor, certitudinem mortis verosimiliorem et termi-
num mortis confudit (k). Quidam recentiorum, eum
sequuti, rem, quae acta erat inter Doctores, oblii-
terminum, qui Iureconsultorum communi sententia
erat firmatus, adsumentes, conclusiones inde menti
antecessorum contrarias deduxerunt. Facile omnino
id fieri potuit. Ex falsa enim ratione, saltem ex ratio-
ne,

32 CAP. II. QVO DEMONSTRATVR, AGNATIS
ne, male intellecta, falsa conjectaria derivari, adeo
certum est, quam quod certissimum.

- (a) in *Decisionibus Electoralibus* XCVIII, n. 4 p. 427.
- (b) in diss. quando absens habeatur pro mortuo, Altorf, §. 3, p. 27.
- (c) in *Iurisprudentia forensi*, Part. III. const. XV. def. 57.
pag. 1079.
- (d) vid. *Thomas Schroer in Institutionibus Tutorum*, Part. III. Q.
III, n. 45. p. 2, f.
- (e) Id testatur *Christoph. Ludovic. Crell* in diss. quando *curator absentis heredes aequo propinquos a successione excludat*. Vi-
temb. 1737.
- (f) In elegantissimis meditationibus ad *Engauii Ins Germanicum*,
p. 633. num. 4.
- (g) in *Decisionibus*, Dec. 666. et 751.
- (h) *Dissentus in praxi*, Cent. V. Diss. 439. p. 101.
- (i) in *Excitationibus ad Dig. Ex. XV. §. 77. lit. a.* pag. 74.
Tom. II.
- (k) in *Med. ad Pandect. Sp.* XCVI. m. 9. p. 337.

§. XXIX.

Quod si autem ex mente Doctorum, quorum sen-
tentiae, ratione termini mortis, fontes sunt, non praef-
sumant, absentem anno demum septuagesimo, ejusque
die ultimo vitam finivisse: sed jam antea, tempore cu-
rae nimirum, mortuum esse; sequitur, successionem
in

in bona absentis non fieri ex nunc, sed ex tunc. Qui-
cunque enim morte defuncti propior existit heres
succedit.

Illi Iureconsultorum, qui novam tuentur senten-
tiā, probent ante omnia praesumptionem, qua: ab-
sentem non alio, quam anni septuagesimi aetatis tem-
pore esse mortuum volunt, rationi, circumstantiis, ho-
dierno rerum statui esse consentaneam. Praesidium in
antecessorum stabilitis propositionibus frustra quaerunt.
Ergo nova reddi debet verosimilior sententia. Id quod
nullo modo, si unquam dantur justae praesumptionum
regulae, fieri poterit.

§. XXX.

Tertium exhibetur argumentum. Demonstratur ni-
mirum: praesumptionem, qua credimus, absentem
anno 70 denum decessisse, omni contradi-
cere experientiae et rationi.

Quamvis praesumptionem requirere probabilita-
tem, nemo est qui unquam in dubium vocaverit. Vbi
haec deficit, illam laudare et probare, idem esset ac
leges, rationem atque acutissimorum Iureconsultorum

E

cer-



certissimas rejicere sententias (a). Eam deinde si, colliduntur praesumtiones, quae majori probabilitatis gradu sustinetur, sequi nostrum est (b). Generatim itaque praesumitur, quod plurimis in casibus evenit.

(a) L. ult. C. de hered. *infit.* L. ult. pr. D. *quod metus causa.* I. H. Boehmer, vir immortalis, in diff. de *collisione praesumptionum*, p. 7. §. 3. E. Christ. Canz de *probabilitate juridica*, p. 9. §. 28.

(b) Laudatus Canz, §. 65. not. a. p. 33. I. F. Hombergh in diff. de *concurso praesumptionum*, pag. 46. §. 51. ubi Menochii regulam exponit.

§. XXXI.

Intuitu vitae hominis sequens, experientia firma-
ta valet regula: Paucissimi mortalium tanta procedunt
aetate, ut annum agere possint septuagesimum atque
illum completere; licet ex iis, qui vicesimum jamjam
annum sunt egressi, majorem eligeres partem (a).

(a) Conferantur Perillustris Viri I. F. L. B. de Bielfeld *Institu-*
tions politiques, T. II. C. XIV. §. 55, seq. Omnibus autem
palmam in hac re praeripuit b. Süssmilchius, vitae humanae
atque mysteriorum providentiae divinae scrutator, in egregio
scripto: *die göttliche Ordnung in den Veränderungen des*
menschlichen Geschlechts, seq. P. I. §. 468. p. m. 333. Hie l. c.
docet,

docet, ex sex hominibus simul natis vix unum attingere metu septuaginta annorum.

§. XXXII.

Computus in §. antec. laudatus homines generaliter concernit. Quanto magis autem intuitu absentium, de quorum vita vel morte plane nihil constat, argumentari poterimus, illos, si ex eo quod maxime contingit, judicare licet, etiam ante quinquagesimum annum esse mortuos.

§. XXIII.

Nova, si hodiernum rerum statum, ordinata commercia, cursus publicos, caeteraque spectamus, accedit ratio. Verbis prudentissimi utar Legislatoris: „Wie es nun vormals bey noch nicht genug excolirter Schiffahrt, Mangel der Posten, u. s. w. leicht geschehen mögen, dass jemand länger als 30 Jahr abwesend seyn können, ohne im Stande zu seyn, von seinem Aufenthalt Nachricht zu geben: so ist doch gegenwärtig bey dem beständigen Handel nach allen Welttheilen und dem Aufenthalt der Gesandten, Residenten, Agenten und Consuls der christlichen Mächte in allen

Reichen, Ländern und Handelsplätzen nicht wol möglich, dass jemand lange Jahre abwesend seyn könne, ohne Gelegenheit zu haben, nach dem Orte seiner Heimat von sich Nachricht zu ertheilen, wenn er anders nicht einer ganz unverantwortlichen Nachlässigkeit sich schuldig machen will (a).,,

(a) Sunt verba potentissimi *Borussorum Regis in principio Ordinationis* §. III. not. a. citatae.

§. XXXIII.

Cum itaque propositio: praesumitur, absentem cum annum aetatis septuagesimum completum habuit, vitam finivisse, experientiae (§. XXXI.), statui absentium (§. XXXII.) et hodiernae rerum generali conditioni (§. XXXIII.), omni ergo probabilitati, adeoque et omni praesumptioni, hujusque justissimis contradicat regulis (§. XXX.): sequitur, nunquam, nisi sine ulla ratione, in ultimo anni septuagesimi die poni posse rationem atque ordinem succedendi. Contenderent, qui aliter argumentarentur, quae prorsus impossibilia sunt.

§. XXXV.



§. XXXV.

Atque ita patet: communem Doctorum sententiam non iusta, non impossibilia continere; si, hereditatem ante annum septuagesimum sine cautione traditione posse statuunt, cum fieri possit, absentem etiam nominato tempore adhuc vivere: Recentiores vero, qui *talem mortis terminum* praesumere conantur atque inde ordinem successionis determinare, novam stabilire sententiam, rationi et omni probabilitati contrarium.

§. XXXVI.

Quonam tandem tempore, quonam momento diem suum obierit absens incertum manet, nisi probatio specialis et stricte sic dicta accedat. Sufficit sane, per rerum naturam praesumi non posse, id anno absentis aetatis septuagesimo factum esse. Ita enim successionis ex tunc, ex curae susceptae nimirum tempore justitia erit manifesta. 1) Qui parentes, qui agnatos atque amicos existentiae suaे reddit certiores, qui admonitus se non sistit, nec litteras mittit, recte pro non existence habetur. Sufficit 2) tempus intermedium tanquam mortis momentum plane definiri non

E 3 posse:

posse: 3) agnatos ex tunc propiores bona semel possidere, ergo ab eo, qui ea vindicare, seu jure hereditario petere conatur, fundamentum actionis, adeoque absentis momentum mortis esse probandum: et 4) ex antea demonstratis summam accedere probabilitatem eo, quo de vita dubitatum est tempore mortuum jam, jam fuisse absentem.

§. XXXVII.

Quartum sifstitur argumentum.

Hic subsistere animus erat, cum argumenta a me exposita tanta mihi videantur, ut nihil obmoveri possit. Addam pauca adhuc, quae si non firmant, illustrant tamen rem difficillimam. Quartum ab aequitate defumo argumentum.

Agnati 1) ex tunc propiores et curatores absentis, res administrant, periculum in se suscipiunt, actiones contra illos institui aliquando possunt ... quid magis aequum est, quam iisdem commodum successionis tribuere. 2) Ob regulam, communis Doctorum sententia adsumtam, terminum vitae nimirum definientem, ante annum absentis septuagesimum hereditatem sine cau-

cautione adire nequeunt; cur iisdem agnatis beneficia a Doctoribus una cum termino vitae stabilita non competent? Cur contra mentem Doctorum, unum sententiae membrum adsumendum, alterum esset rejiciendum.

§. XXXVIII.

Quintum argumentum favor possessionis suppeditat.

In dubio pro possessore ferenda est sententia. Et sane si non falsum, incertum tamen esset: num absens anno septuagesimo decesserit. Sed de hoc infra.

§. XXXIX.

Sextum indicatur argumentum.

Ponamus tandem: proximos ex tunc cognatos hereditatis instituere petitionem. Injungitur ipsis, mortem absentis probare. Onus probandi in se suscipiunt. Aliis autem, nisi praesumtione uti possunt argumentis. Haecce praesumtio non prius est perfecta, quam absens annum aetatis septuagesimum habet completum. Anne vero justa causa ideo fit injusta, quod probatio longo demum interposito temporis spatio, ne-

mine

mine urgente, et ultimo quasi termini p^{rae}clusivi die,
perficiatur?

§. XL.

*Septimo. In dubio communem sequi sententiam re-
gulae iustitiae et prudentiae jubent.*

Si denique mea sententia, mea argumenta non
omnes ac singulos convincere possunt, si quis adhuc
haeret et dubiam rem esse credit; is pedibus eat in plu-
rimorum Doctorum sententiam. Hoc prudentia, hoc
antiquitas et normae hucusque probatae volunt. Sic
jus certum; alias incertum accipimus. Perpendat
quae post fata celeberrimis, acutissimis atque illustri-
bus viris placuerunt. Consentient enim *Bened. Carp-*
zovius (a), *Chr. Richter* (b), *Io. Schilter* (c), *Io.*
Balthas. L. B. de Wernher (d), *Io. Henr. de Berger* (e),
Henr. L. B. de Cocceji (f), *Pet. Müllerus* (g), *Nic.*
Christoph. L. B. de Lynker (h), *Io. Rud. Engau* (i) et
qui ad eundem eruditissimas scripsit meditationes,
Christ. Gottl. Riccius (k), *Georg. Henr. Link* (l), *Christ.*
Christoph. Ludov. Crell (m), *Io. Fr. Wahl* (n), *Christ. Fr.*
Imman. Schorch (o), *Ant. Faber* (p), *Georg. Beyer* (q)
alii.

aliique, quos, nisi tanti jam sufficent Iureconsulti, laudare possem.

- (a) in *jurisprud. forens.* Part. III. Const. XV. Def. 49. et in *promtuario juris*, voce *absens*, p. 5.
- (b) in *Decisionibus*, P. I. D. LXV. n. 7. seq. 10, 11. seq. p. 420. f.
- (c) in *Exercitationibus ad Dig.* T. II. Ex. XV. §. 77. p. 72. seq.
- (d) in *Observationibus*, P. II. Obs. 357. p. 657. edit. 1710.
- (e) in *Responsis*, P. II. Resp. 166. n. 2. pag. 290.
- (f) in *Deductionibus*, Consil. et Respons. p. 1118. n. 5.
- (g) ad *Struvium*, Tit. I. Ex. X. L. V. Tit. III. §. 66. p. 656. seq.
- (h) in *Disceptationibus forensibus*, p. 670. Ien. 1733, Ref. 387.
- (i) in *jur. Germ.* L. I. tit. 28. §. 482.
- (k) p. 633. seq.
- (l) in diff. quando *absens habeatur pro mortuo* 1727. p. 26. §. 2.
- (m) in diff. quando *curator absentis heredis aequo propinquos a successione excludat*, p. 9. seq. 13. seq. §. 3. 4.
- (n) in pr. cui *necessitas probandi in petitione hereditatis absentis incumbat*, p. 13.
- (o) in *meditationibus de cura bonorum absentis*, §. 24.
- (p) *Cod. Fabrian.* L. III. t. 25. def. 5. p. 252. et 253. ed. 1706.
- (q) in *delineatione jur. German.* L. I. T. 27. n. 51.

§. XLI.

Octavum subnectitur argumentum.

Tunc praesertim agnatis ex tunc propioribus nemo praferri potest, si tempore curae susceptae pro

F

here.

42 CAP. II. QVO DEMONSTRATVR, AGNATIS

heredibus, sub conditione: nisi absens redierit, sunt declarati. Id quod saepissime a judicibus observatur (a).

(a) confer. *Respons. Iureconsultor. Wittebergensum apud Berger.* l. c. p. 290, et 291.

§. XLII.

Aliorum argumenta referuntur.

Nunc aliorum, in quorum ire placuit sententiam, argumentorum, quibus successio ex tunc defenditur, mentionem faciam.

Ratio potior, quam omnes fere laudarunt, ex iure hereditario ipso est petita. Habent enim actum, et recte quidem, quo curatela defertur atque acceptatur pro occupatione hereditatis praematura. Si de curatela disceptant agnati, de hereditate ipsa mota lis videtur (a).

(a) vid. *B. Carpzov. in jurisprud. forens. R. S. [P. III. C. XV. D. 48. n. 5. p. 1076. seq.*

§. XLIV.

Richteri argumenta.

Richterus successionem ex tunc ideo justam esse judicat, quod 1) heredes curatorum, sive propiorum agna-

agnatorum juribus gaudeant defunctorum, adeoque et curatelae et successionis emolumentum ad ipsos transi-
ret (a); 2) proximi agnati bona absentis diuidentes,
haec tamdiu retineant, quamdiu non probetur mortis
momentum in quo alii sese fundant (b); 3) quia ge-
neratim is, qui petiti in certa quaerit qualitate ratio-
nem, hanc teneatur demonstrare (c). 4) Curatori-
bus dominium quoddam, quo non nisi ab absente pos-
sint privari, tribuatur (d).

(a) l. c. n. 7.

(b) n. 10. 11. seq.

(c) n. 14.

(d) n. 15.

§. XLIV.

Schilteri sententia.

Iisdem fere, quae Richtero placuerunt, usi sunt
Ienenses Iureconsulti (a) et *Bened. Carpzovius* (b) ar-
gumentis. Duo potissimum sicut argumenta *Ioannes*
Schilterus (c). Prima nimurum a conditionata heredi-
tatis petitione, secunda a fictione legis Corneliae est de-
sumta ratio. Lege cornelia cautum erat, ut pater ca-
ptivus, qui intra captivitatem moritur, eo, quo captus

F 2

est

44. CAP. II. QVO DEMONSTRATVR, AGNATIS

est momento, mortuus fingatur. Ridet hocce Schilterianum argumentum magnus Leyserus (d), cum lex illa nostrae male accommodetur doctrinae, siquidem usque ad annum septuagesimum absens vivus praesumeretur. Sed pace tanti demortui jamjam viri moeo; hoc esse idem per idem demonstrare. Schilterus statuit: absentem statim mortuum praesumi, cum de ejus vita disputatum est. Vtitur argumento fictio-
nis legis Corneliane. Leyserus contradicit: quia an-
no denum septuagesimo diem suum obiisse absens vi-
deatur. Quale addit argumentum? ... Nullum. Lu-
benter tamen et ego concedo, legis Corneliae fictio-
nem hic nullum praebere argumentum, cum ratio
eiusdem non nisi sit specialissima.

(a) apud Richterum l. c.

(b) l. c. Def. 49. n. 6. seq.

(c) l. c. p. 49. T. II.

(d) l. c. m. 9.

§. XLV.

Lynkeri argumenta.

L. B. de Lynker tria, suam nostramque probandi sententiam profert argumenta. Primum (a) est Schil-
teri

teri tertium (§. XLIV.). Secundum a favore possesionis est petitum (b) quo nimirum pro possidente tamdiu esset pronunciandum, donec alter petiti probet argumentum; id quod aliter fieri haud posset, nisi mortis momento demonstrato. Addit tertium celeberrimus quondam Iureconsultus (c). Lites nostra, ait, sententia finiri, contraria fieri easdem infinitas.

(a) in *Disceptat. forens.* Ien. 1733. Res. 387.

(b) in *Decision.* Ien. 1700. Dec. 1418.

(c) in *Disceptat.* Res. 628. p. 765.

§. XLVI.

Riccianna sententiae mentio fit.

Celeberrimus hujus academie Antecessor C. G. Riccius (a) hisce, quae sequuntur, verbis suam argumentandi proponit rationem. Ait vir acutissimus: „propter diuturnam absentiam, per quam nihil certi de absente compertum est, atque de vita ejus dubitari coeptum et *curator* constitutus, praesumitur humanis rebus excessisse: atque adeo *statim pro mortuo* habetur: proinde proximi ejus successores ad *curam et hereditatem absentis*, quasi *jam tunc mortui* sub conditione admittuntur.”

(a) l. c. p. 632. et 633.

F 3

§. XLVII.

§. XLVII.

Crellii sententia narratur.

Quae Crellius habet singularia et praecipua, non meis, sed Crellianis enarrabo verbis. Illustrari hisce possunt, quae §. XIV - XIX. disputavi. Duo praesertim notanda veniunt argumenta. 1) Dicit vir excellens: „si non probetur, quo tempore absens vita sit defunctus, post annum aetatis ejus septuagesimum, de vita ejus, ipsiusque redditu desperatur; hinc et cautio revocatur et fingitur defunctus, non post annum demum septuagesimum, sed *statim*, cum de vita ejus dubitari coeptum et curator constitutus est, humannis rebus excessisse. Illud enim omnino habet rationem: quandoquidem absens ille non tam *propter aetatem suam*, exactumque annum septuagesimum aetatis, ... sed *propter diurnam absentiam*, per quam nihil certi de ipso compertum est, pro mortuo habetur (a).” 2) Addit: „Etiam alia ratione tuti sunt heredes illi. Scilicet, ante annum septuagesimum ignorabatur, an absens decesserit, et an vere proximis cognatis delata sit hereditas illo tempore, quo curator constituebatur. Sic *Divus Pius* praecepit, si heres decebat,

dat, antequam sciret, sibi delatam esse hereditatem, stricto jure quidem, hereditatem, nondum aditam, non transmitti ad heredes ejus, sed heredibus tamen, ex persona heredis defuncti restitutionem in integrum dandam esse, ut admittantur ad hereditatem, quasi defunctus hereditatem adiisset. Quod Papinianus L. 86. pr. D. de *adquir. vel omitt. hered. humanitatis causa obtinere* ait (b).,,

(a) in diss. cit. pag. 12-13.

(b) ib. p. 24-25.

§. XLVIII.

Tempus curae intuitu bonorum absentis, tempus mortis antea defuncti ratione bonorum hereditariorum jus succedendi determinat.

Eorum, qui successionem ex tunc defendunt, probavi sententiam. Ex iis tamen quae in capite primo disputavi, nullo negotio colligitur: partim tempus curae susceptae, partim tempus mortis antea defuncti, cui absens, si animum declararet suum, succederet, esse attendendum. Cum enim intuitu eorum bonorum, quae absens per aditionem nondum adquisivit, non huic



huius sed antea defuncto succedatur. Sequitur ex hujus etiam morte aestimandum esse jus successionis.

§. XLIX.

Eadem ex ratione interdum probatio termini mortis certa admitti nequit.

In fine capitulis disquirendum venit, num probatio in contrarium admittatur; ita ut generatim quidem heredibus ex tunc propioribus hereditas sit tribuenda, speciatim vero et per modum exceptionis personis ex nunc proximis deferatur. Si nimicum probetur, mortem non curae sed alio contigisse tempore. Ego quidem iterum distinguo. Aut de bonis jacentibus (cap. I.) aut de adquisitis jamjam ab absente movetur controversia. Hic probatio in contrarium locum habet, cum haec praesumtioni cedat. Ibi autem nihil interest, utrum absens tempore curae an intermedio desserit, cum non ipsi, sed antea defuncto succedatur (§. XLVIII.).

CAP.





C A P . III .

Q V O

A D A R G U M E N T A D I S S E N T I E N T I V M
R E S P O N D E T V R .

§ . L.

Dissentient celeberrimi Iureconsulti.

Sententiam, quam in me suscepi defendendam, plurimis placuisse Doctoribus ex §§. antecedentibus patet. Novissimam opinionem, qua nimurum heredes absentis anno aetatis septuagesimo propiores ad hereditatem admitti volunt, quidam recentiorum amplectuntur. Sunt celeberrimi nominis Iureconsulti. Argumenta igitur illorum enumerare, iisque rationes meas apponere non nequeo.

§ . LI.

Tubingenses.

Iureconsulti. *Tubingenses* duplii usi sunt argumen-

to (a). Statuunt, prout jamjam monui, absentem adiisse hereditatem per curatorem, eamque ad heredes

G

suos

suos transtulisse. Ex hujus ergo persona proximitatem esse dijudicandam statuunt.

Cum tamen, quae hic monenda essent, ex capite primo possit colligi, reperta supersedeo responsione.

(a) in *Consil. jurid.* T. III. C. 206. n. 45. seq. p. 213.

§. LII.

Secundam sententiae rationem ita Iureconsulti excellentissimi construunt. Propiores heredes ex tempore mortis defuncti, cui nimurum succeditur, sunt dijudicandi. Vivus autem praesumitur absens usque dum annum aetatis septuagesimum habet completum. Ergo, quod inde omnino sequitur, nec tempus curae, nec abitus, sed tempus praesumptae mortis jus succendi determinet necesse est. Et hocce argumentum unum idemque est cum eo, quod caeteris, communem relictis sententiam placet Doctoribus, viris illustribus et celeberrimis, *Augustino a Leyser* (a), *Ferdinando Augusto* (b) et *Carolo Augusto Hommel* (c), atque *Ioanni Christophori Koch*, qui justitiae successionis ex nunc demonstranda causa *auctiarium tractatui de successione ab intestato adjecit*.

(a) in



- (a) in *meditationibus ad Pand. V. II. spec. 96. m. 5.*
- (b) in *diff. septuagenarius absens factus quando mortuus praesumatur?* §. X.
- (c) in *Rhapsodia quaestionum in foro quotidie obvenientium, neque tamen legibus decisarum*, n. CVII. p. m. 60. 61.
- (d) ex *secunda edit. 1768. p. 94. seq.*

§. LIII.

Argumentum a quaestione: num absens ad annum septuagesimum usque pro vivo sit habendus, dependet. Cum vero tales praesumptionem omni contradicere rationi, demonstraverimus, conclusionem admitti non posse perspectum atque exploratum quisque habebit. Doctores, qui ita sentiunt, ea, quae a Doctoribus sunt stabilita, adsumere nobis persuadent. Dum autem non mentem Doctorum, sed verba solummodo spectant ac probant, re ipsa non aliorum sententiis accedunt, sed propriam obtrudunt, atque ita evitant demonstrationem, qua alias nova indigeret sententia.

§. LIII.

Io. Christoph. Koch.

Illustri atque acutissimo viro, *Io. Christoph. Kochio*, cum novo prorsus uti argumento sibi videatur,

G 2

spe.

speciatim respondendum esse censeo. Modeste id fiat, virique celeberrimi pace. Provocat nimirum ad §. 6. Inst. de legitima agnatorum successione, ubi Iustinianus Imperator statuit: „Proximus autem, siquidem nullo testamento facto quisquam deceperit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quaeritur. Quodsi facto testamento quisquam deceperit, per hoc tempus requiritur, quo certum esse coeperit, nullum ex testamento heredem extitulum; tunc enim proprie quisque intestatus decessisse intelligitur.“ Addi potuissent L. 1. §. 6. L. 3. D. unde cognati et L. 2. §. 6. de suis et legitimis heredibus. Concludit inde auctor laudatus: „Si nunc adlumimus, quod nemo negare potest, absentem, de cuius morte nil certi constat, tunc demum *praesumi* mortuum, si, uti communis sere est opinio, absens septuagesimum explevit aetatis annum, eo demum tempore certum esse coepit ex *praesumtione* juris, absentem esse mortuum. Ergo is ei heres existit, qui hoc tempore, v. c. die prima anni septuagesimi primi, absenti proximus est. Ergo successio fit ex *nunc*, non ex *tunc*.“

§. LV.



§. LV.

Speciosa satis videtur argumentatio, sed non adeo solida, ut meam destruere possit sententiam. 1) Nam vir illustris tanquam indubitatum ponit, quod nunquam probari potest. Si nunc adsumimus, inquit, quod *nemo negare potest*, absentem tunc demum prae sumi mortuum, si annum septuagesimum explevit. . . . Non quidam solum, sed omnes, vel saltem plurimi, qui ante *Leyserum* scriperunt, Doctores id negant. Sed hac de re supra satis. 2) Monendum est, Imperatorem in §. cit. duos decidere casus. Primo loquitur de successione *ab intestato*, de qua et Kochio et mihi sermo est. Hic sancit legislator: eum succedere, qui tempore *mortis* proximus fuit cognatus. En verba legis: „*Proximus .. per hoc tempus requiritur, quo mortuus est is, cuius de hereditate quaeritur.*„ Alia eaque diversa proponitur secundo species. Decedit quis testatus. *Hoc certum est. Tempus mortis non incertum.* Quinam heredes sint propiores quaeritur. Vtrum illi, qui tempore mortis testatoris, an qui tunc, quum certiores facti sumus, heredem ex testamento condito non extitisse, fuerunt tales? et posteriores Imperator praefert.

Poste-

Posterior decisio huc non spectat, sed prior; cum, si certum est, absentem testamentum condidisse, status controversiae, et cum ea nostra mutatur sententia. Caeterum testamentum est res facti et probanda: non praesumitur. Quod igitur prius legis attinet membrum, eo illustris viri nunquam firmatur sententia. Id enim, in successione tempus mortis attendi, concedere nullus dubitavi. Atque ita omnis controversia eo denuo redit, quando absens sit mortuus.

Duos hosce casus a se invicem distinguere celeberrimus Kochius neglexit. Verba potius: *eo demum tempore certum esse*; ex secunda legis specie ad priorem contra verba, mentemque legislatoris transtulit. Imperator ait: *tunc enim quisque INTESTATVS decessisse intelligitur eo tempore, quo certum esse coepit, nullum ex TESTAMENTO HEREDEM EXSTITVRVM.* Kochius autem: *tunc certum esse coepit absentem esse MORTVVM.*

In successione ab intestato Imperator non *ex certitudine* mortis, sed *ex tempore* mortis, licet postea demum probetur, praerogativam heredum determinat.

§. LVI.



§. LVI.

Car. Ferdinand. Hommel.

Celeberrimus *Carolus Ferdinandus Hommel* sententiae suae rationes ita proponit: „Obwohl - einige Rechtslehrer (non solum quidam, sed plurimi) unter denen Redensarten: mortuum haberi, et pro mortuo declarari, einen Vnterscheid machen, und behaupten, dass man dafür halten müsse, als wenn bey der ersten Abwesenheit der Tod sogleich erfolget sey, obgleich erst nach überschrittenen 70sten Jahre die declaratio pro mortuo geschehen ... solchemnach nicht derjenige, so alsdenn, da der Abwesende durch Vrthel und Recht für todt geachtet wird, sein nächster Blutsfreund ist, sondern vielmehr, da, obgedachter Meinung nach, absens jam eo tempore, quo abesse incipit, mortuus praesumatur, licet pro tali nondum sit declaratus, denjenigen Personen, so ihm zur Zeit, da er zuerst abwesend wurde, am nächsten besfreundet - sein Vermögen zufalle ... Dieweil aber in Rechten (hoc est: a quibusdam recentioribus Iureconsultis) dafür gehalten wird, als wenn ein Abwesender bis nach erfüllten 70sten Jahre sich am Leben befindet, wie denn auch

H

sein

sein Testament, falls er dergleichen niedergeleget, nicht eher zu eröfnen, mithin, cum viventis nulla sit hereditas, sothanes Alter abzuwarten ... so ...,

Aequus judicet lector, an haecce demonstratio non potius pro mea militet sententia. Ita enim, si verum faceri licet, vir illustris argumentatur: Quamvis plurimi Doctorum inter τὸ mortuum haberi et pro mortuo declarari distinguant, adeoque successionem ex tunc probent: quia tamen paucissimi Iureconsultorum distinctionem laudatam rejiciunt et successionem ex nunc probant, posterior sententia est verior. Cetera taceo.

§. LVII.

Novo sententia communis corroboratur argumento.

Hisce expositis novam nostrae seu communi accedit argumentum. Communis sicut et dissentientium sententia in longissimo, Doctorum auctoritate stabilito vitae termino est fundata. Hi vero Doctorum verbis, mentique contrariam defendunt notionem. Communis sententia, quae rationi respondent, dissiden-



tientes, quae per rerum naturam praesumi nequeunt,
praesumunt.

§. LVIII.

*Ordinationis Potentissimi Borussorum Regis
Imenitio fit.*

Prudentissimus Borussorum legislator (a) suc-
cessionem ex nunc probavit; sed breviorem simul ter-
minum, quo absens pro mortuo habetur, stabilivit.
Quod si ergo Doctores antecessorum sententiam, qua
anno demum septuagesimo bona sine cautione heredi-
bus traduntur, rejiciunt; majori aequitatis specie suc-
cessionem ex nunc etiam defendere possunt.

(a) l. c. §. 23. 24.

Conclusio.

Plura addere animus fuit. De facultate curato-
rum bona, nondum sine cautione adquisita, transferen-
di, de testamento absentis, tanquam peregrinantis,
differere volui; cum thema electum id exigere videa-
tur. Sed variis commotus rationibus, gravissi-
misque causis impeditus hic subsisto.



DIESSEN-THEATRUM RESPONDEST.

HISTORIÆ, DIESSEZ HET TERTIUS DE HISTORIÆ DECEPTE IN A DUNGEN

DE SILENTIUM

¶

FAMIL

OFFICIALENT TERRITORIUM PONTIFICIS AN PECUNIA

INSTRUMENTA

LAUDATIONIS PONTEFICIÆ PONTIFICIAE FESTIVITATIS (¶) 110

COLLOQUIO DE PONTEFICIÆ PONTIFICIAE PONTIFICIAE

CONFUSIONE, DIESSEZ HET QUADRAGESIMA PONTIFICIAE

(¶) 110 2 24

CONFUSIONE

CONFUSIONE, DIESSEZ HET QUADRAGESIMA PONTIFICIAE

CONFUSIONE, DIESSEZ HET QUADRAGESIMA PONTIFICIAE

CONFUSIONE, DIESSEZ HET QUADRGESIMA PONTIFICIAE





ULB Halle
001 964 666



3

5b

1078





Pri. 48. Plana. 43.

1768, 11

A2

DISSE¹⁵³RATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
TRANSLATIONE BONORVM
ABSENTIS
VEL PROBATA MORTE VEL PRAE-
SVMTA DEMVM EFFICACI

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
POTENTISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

G E O R G I O III.



AE FRANCIAE ET HIBERNIAE REGE
DEI DEFENSORE
VICENSI ET LVNEBURGENSI
SAVRARIO ET ELECTORE ETC. ETC.

INCLYTI ORDINIS IVRIDICI
TROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

LICE DEFENDET
FRIDERICVS PIEL

REMA - SAXO

AVGVSTI MDCCCLXVIII.

LITTERIS BARMEIERIANIS.

